





Disputatio Juridica 522  
DE  
**P R I V I L E G I I S**  
LITERATORUM.

*Quam,* 1626. 1.  
Divinâ favente Clementiâ,

*CONSENSU & PERMISSU* 33

*Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi JCC. in-*  
*cita in Academia Tubingenſi ordinis:*

**P R A E S I D E**

*Nobilis, Amplissimo & Consultissimo,*

**DN. CHRISTOPHORO**  
**BESOLDO, IC. EMINENTISSIMO,**  
Antecessore in celeberrima Academia Tu-

*bingensi Clarissimo, Dn. Patrono, Fautore ac Præcepto-*  
*re suo, nullo non obſervantie & honoris cultu*  
*prosequendo.*

*Publicè in Auditorio JCC. pro virili defen-*  
*dendam proponit*

**Matthias Wolffarth, Argentoratenſis.**

*Ad diem X I. Februarij.*

*Tubingæ, Typis Theodorici Werlini, Typof.*

*Anno M. DC. XXVI.*



I.

H.

*Disputatio Juridica*

DE

PRIVILEGIIS LITERA-  
TORVM.

PRO OE M I V M.

In Nomine Domini nostri  
IESU CHRISTI, ad omnia consilia,  
omnesque actus semper progredi-  
mur. l.z. C. de offic. pref. prat.  
Afric.

**R**IDERICUS IMPERA-  
tor Romanus, eius nominis pri-  
mus in auth. Habita C. ne fi-  
lius pro patre, saluberrimâ  
E in perpetuum valiturâ constitutione,  
omnibus liberalium artium E eminentioris  
doctrine Professoribus ac Studiosis, ad versus  
omnem iniuriam ac petulantiam, quâ odio  
scientia, illiterati E homines vilissimi, lite-  
ratos E frequenter E quotidiè diverxant,

A 2 quam

*Disputatio Juridica.*

quām plenissimē prospiciens : gravissimam  
committatus est pœnam illis omnibus , qui  
contra sacratissimam illam sanctionem veni-  
re tentaverint. Quam constitutionem , cum  
omnes literati ob beneficium , quod ipsis con-  
fert maximum , meritō summo studio & gra-  
tissimā mente suscipere , venerari & colere  
debeant ; nemo , ut spero , mihi succensebit ;  
quod nunc ea de re exercitium Academicum  
propono : prasertim cum ipsa materia Lite-  
rato ita scitus dignissima & necessaria sit , ut  
Hunni effato in epist. dedic. comment.  
de privil. Stud. Studiosi & literati nomi-  
ne tantisq; privilegijs indignus reputetur , si  
quis privilegia singulari Principis clementia  
& benignitate sibi concessa ignoret. Itaque  
bono cum Deo rem ipsam aggrediar , præcipua  
tantum circa Judicia , dignitatem & im-  
munitatem occurrentia privilegia proponen-  
do. Quod ut feliciter fiat , faxit D E V S  
T E R . O P T . M A X .



THESES

97  
98

THE SIS I.

P Rivilegia non immerit Scholaribus (a) nempe propter bonum publicum (b) pietatem & reverentiam studiorum (c) sumptus (d) agitudinem (e) immensum laborem (f) à Friderico Romanorum Imperatore, eius nominis primo (g) concessa: non tantum competent Studiosis (h) verum etiam Professoribus (i) ceterisq; Doctoribus (l)

a) Virtutum enim præmia tribui merentibus convenit: alias nec domus nec Rœpubl. stare posset, si in ea nec rectè factis præmia extent, necnulla supplicia peccatis, maximè cum spe præriorum homines ad studia incendantur. l. i. C. de adœfōr. Cumque hęc privilegia sint exceptio iuris communis propter virtutes & labores, ad utilitatem publicam introducta, literatisq; indulta; nequaquam iniusta & iniqua vel legibus contraria vocanda sunt, præfettim cum Imperatoriā lege cotidantur & permittantur. (b) quia totus mundus eorum scientiā illuminatur, & ad obediendum Deo & magistrati, animi subditorum informantur. *anth.* *Habita C. nefilius propat̄o.* (c) nulla enim iura sine pietatis præfatione, mentionem de literatis faciunt. l. 5. C. de advoc. diversi judic. Vnde & in d. *anth.* *Habita C. ne filius pro patre* beneficium pieratis appellatur. (d) quia de divitibus hūnt pauperes, d. *anth.* *Habita C. nefilius propat̄o*: propter peregrinationem & magnos sumptus, quos in loco studij propter exactam vietū rationem, libros, vestes & alia facere coguntur. Quibus mercatorum & hospitium compendia accedunt. Experientia namque abundē satis testatur, carius literatis res vendi quam alijs, quasi naturā sic inductum esset, ut mercatores & alijs cum literatorum iactuā necessariō fieri debeant locupletiores. Hinc etiam caupones vinum literatis non tantum carius vendunt, sed frequenter etiam vinum aquā commiscunt, ne forte vinum studij officiat, iuxta illud Esaiae ad Jerusalem, quod habetur in c. ejicens 88. distinctō. (e) constat namque, multam vigiliam, & pernoctes diesque

A 3 solita-

## 4 Disputatio Juridica

solitariam vitam, maciem & pallorem in facie, lassitudinem animi & corporis, defluxionesque in oculos, melancholiā, morbosq; alios innumerabiles frequenter producere. (f) l. 2.  
C. de offic. magistr. offic. l. 3. C. de tyron. l. 1. C. de adfessor. scilicet:

Qui cupit opratam cursu contingere metam;

Multa tulit, fecitque puer, sadavit & alit.

(g) Sunt qui putant, Fridericūm II. propter incredibilem bonum literarum favorem privilegia hæc concessisse. Malè. Patet hoc ex d. auth. C nefil. pro patr. subscriptione. Cum enim Roncaliæ anno 1158. hæc authentica sit promulgata, haut dubiè isti imperator eam cōcessisse videtur, qui Roncaliæ eo anno regni curiam tenuit. Eo autem anno regnum administravit Fridericus eius nominis I. Otto Erſing. Guntherus Poeta in vir. Frider. Otto de S. Blasio. Alij. (i) ut familiæ nomine herus. l. 195. §. i. ff. de V. S. ita etiam omnes illi qui in Scholis versantur, sine distinctione in libris Codicis generali nomine Scholares appellantur. (i) l. 3. & r. t. C. de Privil. Schol. d. auth. C. nefilii pro patr. in quâ expressè mentio fit Professorum. (j) Nam illi, matricula Academiz dum studijs, velut actu discentes, operam darent, inscripti, neque ex eâ haē tenus expunēti, pro membris Academie necessariò habendi sunt, donec ex matricula eorum nomen abradatur, vel abradendum esse ostendatur. l. 1. & 2. C. de primicer. Adde quod ad munera personalia & patrimonialia nullo modo compelli possunt, sed proslus ab ijs imminentes sunt. l. 6. C. de advocat. diversi indic. Ordinatio Camer Imper. Spira part. I. tit. 49.

## I.I.

Neq; his solis competunt, sed etiam illorum uxoris & viduis (a) liberis (b) famulis & ministris perpetuis & quotidianis (c) nuntiis (d) Pedellis (e) Notariis, scribis, tabellionibus (f) Typographis, Bibliopolis, librorum compactioribus, illuminatoribus. (g)

(i) l. 2. C. de episcop. & cler. l. 6. Cod. de Profess. & med. l. 3. C. de privil. Schol. retinent enim maritorum suorum dignitatem. l. fin. ff. de senator. l. 22. §. 1. ff. ad municip. l. 10. C. de nupt. l. 9. C. de incol. l. 13. C. de dignitar. & per illas maritus iniuriam

iuriā

## de Privilegijs Literatorum.

utriam patitur. §. 2. f. de iniur. Sancitum hoc etiam in privilegiis, Academiae Tübingeris. ibi. wir haben alle Freiheit zu geben auch hemit allen ihren Ehelichen Weibern, Francofurtensis, & Wittenbergensis: quod sic habet; Wann einer von den incorporierten Personen stirbt, Weib vnd Kinder hinder sich verlasset, so treten die Witwe vnd Kinder in alle ihres verstorbenen Manns oder Vaterrn Privilegien, haben sich derselben auch zugebrauchen, vnd bleiben vnder der Universitet Jurisdiction, so lang sie ihren Stand nicht vernichten, vnd sich selber derselbigen freiwillig begaben. Addit Cothmann. resp. juris Academ. 26. n. 1. 6. 7. 9. & seqq.  
(b) si videlicet in eodem statu permanerint. l. 2. §. fin. C. de episcop. & cler. Secus est, si aliquod beneficium marito & patri specialiter est concessum, rubr. C. de muner. int. patr. & fil. non contin. Praxis haec est & observantia omnium ferè Academiatum, vid. Cothman. d. l. (c) l. 3. C. deprivil. Schol. arg. l. 1. & 2. C. de episcop. & cler. Neque interest, utrum sint perpetuac proprij, an vero temporales, modò ita operam suam Professoribus & Studiosis addixerint, ut ad eorum iussum adesse, ijsque solis servire, mustum purgare, calefacere, aquam adferre & alia necessaria expedire necesse habeant. In hac Academia Tübingeri Magnificus Dn. Rector (ut audio) famulos non agnoscit, nisi sint inscripti & sacramento ipsi devincti, ne sc. plus iuris quam ipsi Domini habere, videantur. Quod vero de famulis dictum, ad eorum meretrices neutiquam extendendum: sed illas potius è loco Studij expellendas & ejiciendas esse puto. (d) Beneficium enim ab Imperatore concessum, nuncis quoque permisum, constat ex d. anth. Cine filius pro patre ibi: tam ipsi quam eorum nunti. (e) sunt enim ministri Professorum ac Studiosorum & quidem perpetuac proprij. (f) in quantum scilicet sunt in perpetuo ac proprio Academij ministerio. (g) sunt enim personæ accessoriæ ad quas etiam extenditur privilegium, alias sine illis inutile remanens c. licet depriv. in 6.

### III.

Cognitis personis dignis privilegijs: ad ipsa privilegia accedam. Ea ratione fori reputantur. Literatus non potest nisi coram Magnifico Rectori Universitatis conveniri (a) & recoveniri (b) tam in civilibus (c) quam in criminalibus (d) causis.

a) Vi-

## Disputatio Juridica

(a) Vigore auctoritatis. *Habita C. ne fil. pro patr. literatus*  
*Tres habebant iudices, Dominum Magistrum, civitatis Episcopum, & Rectorem seu Praefectum loci, ita ut potuerint elegere, sub quo iudice malint conveniri, nisi literatus contra literatum propter cessantem eligendi facultatem ratione privilegij aequalitatis egisset. l. 11. s. 6. ff. de minor. vel fuerit auctor: d. auct. ibi: si literem eis quispiam, &c. C. ne fil. pro patre. vel coram aliquo iudice falsum dixerit testimonium. l. 14. C. de Testam.*  
*Verum cum per statuta Academica & generalem consuetudinem tota iurisdictione Magnifici Rectori, cuietiam iurant literati, tributa sit, hodiè privilegium electionis amplius non habent, sed ob jurisdictionem Rectoris ordinariam, respectu studiorum, & juramentum ipso Rectori praestitum, ipsius jurisdictionem hodiè declinare nequeunt. Coguntur itaque literati Rectori Academie in omnibus pijs & honestis rebus patere, & vocati coram illo comparere, nisi fortassis literatus de rebus suis privatis extra Academiam tractet: tunc enim coram iudice istius loci conveniri debet, cum Rector extra locum Academie vel civitatem, in qua est Academia, nullam jurisdictionem habeat. Si ergo Literatus in Patria vel alio loco extra Academiam contraxerit, apud Rectorem Universitatis ob id conveniri non poterit, cum in loco extra Academiam, contractus cum literato non ut literato contrahatur, & privilegia literatis in loco non extra locum dentur. l. 2. C. de pr. vii. Schol. Hanc conventionem apud Rectorem tanquam iudicem competentem, non alium, in tantum necessarium esse duco, ut si apud alium, quam Rectorum, Literatus conveniatur, auctor causa iustissimam cadat. d. auct. ibi qui vero ad alium, &c. C. ne filius pro patr. cum & iure veteri, qui aliquem in vetitum examen, i. e. in locum, in quem vetitur reum vocare, vocat, causam amittat. Et cum causa cadat, qui literatum ad alium iudicem trahere conatur, ipso iure enim cadere statuo: quia ipso iure actionem amittit, qui ipso facto sive ob id ipsum quod aliquid factum est, causam amittit. Quamvis non negem, declaratoriā sententiā tum opus esse, quando satis non constat, sciveritne auctor, adversarium suum fuisse literatum, an vero nesciverit, eiusque ignorantiae causam habuerit. Si enim sciverit, sententiā iudicis pronunciabitur cecidisse causā. Sin minus, ab hac pena absolvetur auctor,*

97

actor, quoniam error facti, ut eriam error juris in damnis amittendae rei sue non nocet. l. 7. l. 8. ff. de iur. & fact. ignorant. Imo in tantum procedere arbitror, ut si actor literatum solum citari ad alium iudicem curaverit: & literatus, non invitus comparuerit coram iudice incompetente; nihilominus causam cedat & penam incurrat; cum solus conatus requiratur in d' aub. ibi: a rati conamine C. ne filius pro patre. quod vocabulum, solam scil. citationem sufficere & indistincte ob-solam illam temerariam citationem auctorem causam etiam justissimam privari, innuere automo. (b) Habent enim literati in Academijs forum privilegiatum: privilegijsque Clericorum gaudent, quos non posse coram magistratu seculari reconvenire communis Dd. confirmat opinio. arg. cap. 12. Extr. de foro competenti. Excipitur itaque literatus per dict. auth. Habita a comui regula in l. 22. ff. de iudic. & l. 14. C. de sentent. & interlocut. polita. Et quia hoc privilegium literatis non ut singulis, sed ut universis, & sic potius dignitati & ordini, quam nomini concessum est: sequitur, literatum privilegio suo renuntiare & prorogando iurisdictionem se magistratu seculari vel oppidano subiecere non posse; cum ipse Imperator in auth. habita expressè dicat, se iurisdictionem magistratu dedisse Academico; adeoque hoc privilegium fori non sit personale beneficium, sed toti universitati publicè indultum, cui renuntiare non licet. c. 12. ext. de for. compet. Hodiè vero haec sententia minus dubij habet propter iuramentum Rectori praesitum, ob quod, si literatus magistrati seculari se subiecerit, Rector illi inhibere & causam ab illo magistratu avocare & potest & debet. (c) Non modò simplicem iurisdictionem, sed etiam mixtam imperium Rectori bus & consistorijs academicis competere, amplius controversum esse non puto: text. in d. auth. Habita verb. delictum sive debitum, & ibi super aliquo negotio C. ne filius pro patre. (d) salvo aliorum iudicio non tantum civitem, sed etiam criminaliter Rectori competere iurisdictionem probabile videtur. I. quia Imperator literatos ab omni, quod planè nihil excludit, iniuria vult defendere: d. auth. Habita C. ne filius pro patre. II. quia in criminalibus maius veritatis periculum, & ipsius gravius literatis noceri potest. E. & cautius ibi agendum l. fin. C. de probat. cum perquam periculoso sit coram peregrino & oppidano

B judice

## 8. Disputatio Juridica

Iudice stare, penes quem plus valere potest favor erga suos ci-  
ves, quam pro literatis sanctio Imperatoris. II I. Principum  
beneficia latissimè sunt interpretanda l. pen. ff. de constit. Prince.  
Imperator autem jurisdictionem concedit in auth. Habita C. ne  
filius pro patre, quæ ambitu suo etiam merum imperium comp-  
lectitur. l. i. ff. de offic. eius cui mand. est jurisdicti. IV. Ea finitè  
non debent accipi, quæ indefinitè sunt posta. l. i. §. 3. ff. de al-  
eat. l. i. §. 1. ff. de legat. preß. cont. tab. bon. l. i. §. 2. ff. quia in  
frand. credit. Dicta autem auth. Habita C. ne fil. pro parr. loqui-  
tur simpliciter & indefinitè, cum nullâ lege contrarium adstrui  
possit. E. etiam simpliciter accipienda & de utraq; iurisdictione  
intelligenda arg. l. 8. ff. de publ. in rem. action. V. Literati  
gaudent privilegijs piarum causarum. l. 50. ff. famil. hercif. cle-  
ricorum & milium. l. 14. C. de advoc. divers. iudic. pri-  
vilegia pia caufæ augustinissimè sunt interpretanda. l. ult. ff. de constit.  
Princip. & in criminalibus etiam forum privilegiatum habent  
clericis, cap. clericis exir. de ind. militis. l. 9. ff. de crif. & exhibit.  
reor. VI. Probant id ipsum verba d. auth. habita ibi: ob delictum  
vel debitum: & ibi: si quis eis item, &c. C. ne fil. pro parr. quibus  
verbis criminales caufas venire probabiliter dici potest per l. 15.  
§. 4. ff. ad SC. Turpil. l. 14. ff. de accusat. l. 5. C. de irrundi. Hæc  
tamen non eò extenduntur, ut, et si magistratus Academicus  
imperium merum & ius gladii habeat: veluti hæc Academia  
Tubingenensis, Ingolstadiensis, Vientrensis, Lovanensis, Gry-  
phisvaldensis, Heidelbergensis, Lipiensis, Francofurtensis,  
Rostochiensis, & aliae: si scil. literatus alibi quam in Academia  
delinquit, Magistratum academicum iudicem competentem,  
sed illius loci, ubi deliquerit, magistratum agnoscere cogatur  
per l. 3. ff. de re milit. l. fin. ff. de accusat. l. i. C. ubi Senat. vel clari-  
f. L. cet non planè negem, Academias nonnullas in Germania  
ex speciali privilegio jus habere literatos ob delictum alibi de-  
tentos avocandi, quod tamen ius plerunque limitatum & ad  
certa milliaria restrictum est. Hanc quoq; jurisdictionem tam  
civilem quam criminalem Rectori concessam, alii demandari  
posse autumo, propterea quod quisque iurisdictionem ordinaria  
habens alteri delegare eam possit. l. i. ff. de offic. eius cui  
mandat est Jurid. Rector autem jurisdictionem habeat ordi-  
nariam ab Imperatore sibi concessam; inq; absente Rectore.

Ptolemao

## *de Privilegiis Literatorum.*

Prorectori , cui vigore statutorum Academicorum sigillum & liber Statutorum traditur , eadem est potestas , idemq; ipsi honor debetur , qui Rectori presenti . arg. l. pen. in fin. C. de aqueduct.

IV.

Porro Literatus contra adversariorum agere potest , ut certo tempore agat . (a) Tercitandus est , antequam privetur matriculâ . (b) In ambiguis pro eo respondendum . (c) A qualibet interlocutoria & à quolibet gravamine . (d) Omissio etiam medio , ad ipsum Imperatorem appellare potest : (e) contrà à sententia in favorem studiorum lata , non licet appellare . (f) Mitius est puniendus quam alius . (g)

(a) Excipitur literatus à communis regula in l. unicâ C. ut nemo invitus polita : quia potest impetrare à judice competente , ut qui velit agere contra eum , faciat illud intra tempus à judice moderandum l. 5. C. de ingen. & manu miss. Secus est in alterius crimine vel debito , ubi nullo modo detineri potest . (b) quando enim agitur de privilegiis amissiones , triplex requiritur citatio sive monitio . l. 53. ff. de reiudicat . (c) quod fieri debet propter favorem p̄e & favorabilis causa , præalentem favori tui . l. 38. ff. de re iudic. licet iure civili reo potius quam auctori sit favendum . l. 12. ff. de R. J. (d) Est enim ab omni iniuria defendendus ; nec interest , utrum magna , an verò parva ipsi fuerit illata iniuria : quia , qui omne dicit , plane nihil excludit . l. 13. C. mandati . (e) Imperator enim speciali dilectione offert se ad literatorum defensionem , d. auth. Habita ibi quâdam speciali dilectione C. ne fil. pro patre : quod tamen non procedit , si statuta sint in contrarium & pœna tenoristati inferta . (f) maximè ubi tractatur de expellendo fabro vel alio oblitio pente iuxta Scholas vel domos literatorum : ratio est : quia si res non recipit dilationem , non permittitur appellare l. 7. C. de appell. recip. Causa autem studij dilationem non patitur . l. 18. §. 1. ff. de iudic. l. 1. & 2. C. qui atate lib. 10. (g) d. auth. C. ne fil. pro patre , consulto tamen Princeps l. 31. ff. de pen. modò sit excellenter doctus d. 1. 31. ff. de pen. Hinc si literatus daminetur ad mortem naturalem , Princeps consultus propter singularem eius cruditionem , ei gratiam facere debet ob d. l. 31. Ecur non

## Disputatio Juridica.

literato, qui utilitati publicæ præesse potest, pœna mitiganda, cùm opifici excellenti in arte quādam gratia sicut soleat. d.l.31.

V.

Enumeratis Literatorum circa forum occurrentibus; privilegia sequuntur Dignitatis, tūm inter se, tūm respectu aliorum. Inter se; Theologos Jurisconsultis (a) Jureconsultos Medicis præfero. (b) Respectu aliorum Doctor nobilis reputatur, nobiliumque privilegij utitur. (c) imò nobili tantum in eundo, sedendo præfertur (d) quod extendere placet etiam ad Doctores Bullatos (e) non verò in Academia ab Imp. non confirmata, creatos. (f).

(a) propter eorum scientiam, quam illi tractant, quā nihil sublimius, nihil sanctius, nihil salutarius, tūm etiam subiecti, veritatis, finisque ratione digniorem nobilioremque categit existere constat: cui rectissimè omnes aliae scientiae & artes factas suos humiliter submitunt. (b) quod dictum velim de iis Iureconsultis qui non in agendis causulis sed administranda Republica versantur: non rabulissimis tribus mensibus Crostifuturos iactantibus, quorum (Cassiodori effato) si hares afflaverit cuiusdam rubiginosi aura matupii, confessim ibi videbis oculos Argi, manus Briarei, Sphyngarum ungues, periuria Laomedontis, argutias Ulyssis, fallacias Sitionis, fidem Polymnestoris, pietatem pigri Leonis adhiberi. (c) l.7. C. de postul. l.11. C. de advocat. divers. indic. l.12. C. de dignitat. l. 4. §.1. ff. de excessu. tutor. quia Imperator eximit eos è plebeia conditione ob virtutem dd. ll. unde etiam dicuntur Magnifici Arist. 4. Eth. pars corporis Principis l.5. C. ad leg. ful. maiest. Patres Principis §. 5. f. quib. mod. 19. patr. potest. solv. domini l.2. C. de offic. divers. indic. & quid mirum, cùm fortitudo nobilitet l. fin. C. de decur. l.1. C. de exhib. res. etiam eruditonem & scientiam ut poterit quæ est res laudabilis l.4. C. de advocat. divers. indic. honoris plena arg l.6. C. de postul. sanctissima. l. 1. §.5. ff. de extra ordin. cognit. præ fortitudine nobilitare, cum omnibus, omni tempore rati pacis, quam bellum prospicit. Nobilis ille dicitur, quem sua virtus & eruditio nobilitat. Nam

Stem.

## de Privilegijs Literatorum.

121

Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo  
Sanguine censeri, pictosq; ostendere vultus  
Maiorum & stantes in curribus Ämilianos?  
Qui fructus generis tabula iactare capaci  
Famosos equitum cum dictatore Magistros.  
Si coram Lepidi male vivitur.

Adde Policieordnung Anno 1577. aufgangen / & reformation  
guter Polisen zu Augspurg Anno 30. auffgericht iiii. vom Adel.  
(d) Hic ut unicuique suum tributatur, procedendum distinetur.  
Multum autem refert, an Doctor conferatur cum Nobili tan-  
cum, an vero cum nobili & Doctore simul. Si cum nobili &  
Doctore simul, nobilem regulariter præferendum puto Reces.  
imperij anno 1500 Augusta habitus in s. Item sollen jedermann ge-  
falten hembit: in verbis vnd sonderlich sollen die vom Adel / so  
nicht Ritter oder Doctor seynd. & s. Item die vom Adel. & s. item  
die vom Adel / so Ritter oder Doctor seynd. ii. quia in illo nobili &  
Doctorate simul duo vincula, que plus ligant & plus possunt,  
quam unum: s. 2. J. de adopt. splendor nempe generis & fami-  
lia fulget. Si vero Doctor cum nobili tantum conferatur, tunc  
ad officia, quibus uterque praest, respiciendum est. Si enim no-  
bilis præ Doctore in officio dignori constitutus erit, præfero  
Doctori. Si vero Doctor muneris magis honorifico, ut quia est  
Cancellarius, Consiliarius, &c. præfuerit, tunc nobilem tantum  
eum sequi debere puto. per reformationen guter Polisen zu Aug-  
spurg Anno 1530. auffgericht iiii. vom Adel s. i. cuius verba hec  
sunt: vñ so einer eines Fürsten Hoffmeister/ Cansler/ Marschalek/  
oder Rath/vnd doch nicht vom Adel were/ der mag sich denen von  
Adel gleich tragen; quod repetitum in der reformationen guter Po-  
lisen Anno 1548 zu Augspurg auffgericht. De iure autem prece-  
derentie extra officium serio nihil definio, neminique quicquam  
volo detracatum, nec debebo, nec possum etiam. Putarem tamen  
nobilem bonis literulis instrutum Doctori præferendum, cum  
duplici & generis & scientia civilis nobilitate splendescat. Do-  
ctorum autem nobili, literarum rudi & ignaro si præulerim,  
nescio an erro. reformationen guter Polisen de Anno 30. & Anno  
48. zu Augspurg auffgericht iiii. vom Adel cum s. i. iunct. iiii. seq.  
Von Doctorn cum fortior sit dignitas, quam quis habet per se, il-  
la quam quis habet per alium. Vnde Poeta:

B 3

E 4

## Disputatio Iuriadica

Ergenus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,  
Vix ea nostra puto.

(e) gaudent enim iisdem privilegijs & insignibus quibus Doctores solenniter promoti. Nulla enim inter bullatos & solenniter in Academia promoto reperitur differentia. Nam si difference quædam intercederet, fieret aut ratione accipientis aut conferentis gradum. Non accipientis; quia uterque debet esse doctus & peritus; alias indoctus, imperitus, mitratus asinus esset. Non ratione coferentis; quia tam Academicorum Comites Palatini potestatem illam creandi Doctores ab Imperatore concessam, habent. Adde quod solennia in actu Doctoreo adhibenda, si comitivæ instrumentū requiratur, Palatinus ea non omittit: sin minus, propterea bullatorum dignitati, autoritati & privilegijs nil decedit; præsertim cum ad Eſſe Doctoris non ritus quidam exteriōres, ut qui retineri & omitti ſalvā dignitate Doctorali poſſunt, neceſſariò requirantur; ſed potius morum & facundię excellentia deſideretur. l. 7. C. de Profes. & med. Et licet neceſſariò publicum examen. intervenire ſoleat & debeat in ritu Doctorali Academicō, neminem tamen inficias iturum arbitror, quin etiam vigore comitivarum examen ad illud duobus ad minimum aut tribus eius Facultatis Professoribus requiritur ſoleat adhiberi, & num Candidatus hoc gradu dignus vel indignus sit, probari. Et in tantum requiritur hoc examen, ut ne ipſe Imperator abſque prævio examine quem Doctorem facere queat, niſi alias ei pròbè de doctorandi eruditione, facundia & bonis moribus conſtaret. Brevibus. Quem Imperator fecit Doctorem, de eo non quærendum, dignus an ille fiet, nec indignus. l. 3. C. de crim. sacril. At quem Comes Palatinus habens facultatem creandi Doctores ab Imperatore, creat, ipſe Imperator creare censetur. arg. cap. quod quis per alium de R. f. in 6. cap. Apostolice de præbend. in 6. (!) Sic Belgij ordines non requirito Imperatoris affensu Academiam Leidensem exercere. Imperator autem illam potestatem erigendi Academiam, alias tanquam regale ſoli Imperatori confeſſum, ordinibus Belgicis competere negat, ut patet ex missis à Rudolpho literis, quibus hoc vehementer illis exprobavit factum. Quod igitur abſque conſensu Imperatoris fecerunt illi ordines Belgici, irritum nulliusque momenti fit, ſecundum ea, quæ lege fidelitatis & iure

## de Privilegiis Literatorum.

13

& iure communi foudorum (sunt enim provinciae illae unitae, feudum deductum à S. Imperio, quemadmodum ex archivis Imperij, & actibus investituræ, multisque publicis monumentis omni exceptione maioribus liquidò appeter) faniuntur. Hinc etiam certa pactione fuit introductum, ut in Gallia & Anglia approbarentur, quā opus non fuisset, si ordines Belgici iure proprio & sine immunitate ac fraude Majestatis Imperij Romano-Germanici, Academiam erigere & privilegijs ornare potuissent.

VII.

Competentiam fori & dignitatem excipiunt Immunitates: quæ sunt. Doctor immunis est à solutione collectarum (a) gabellas solvere non tenetur (b) à munere recipiendi milites aliosve in domo, excusatatur (c) ad tutelam gerendam cogi nequit. (d)

(a) l. 2. C. de SS. Eccles. l. 6. C. de prof. & med. quod etiam in ejus uxore propter remanentem viri mortui imaginem, non verò filijs, qui vivo tantum patre immunitatibus potiuntur, d. l. 6. procedit (b) libros n. resq; alias transferre opus habet. Publicano tamen profiteri debet. l. 16. s. 9. ff. de public. ne forte cùm alijs colluderet (c) l. 6. ibi: neq; hospites recipere C. de Prof. & medic. quod omnino observandum, cum nihil tam inimicum ac æquitati infestum sit quam armati homines, in quorum conspectu lex corruit & varia hospitibus gravamina inferuntur. (d) si in patria, imò etiam extra patriam profiteatur; ubique enim legat, honorat patriam suam: licet in veigalium statione æqua omnium impeditio esse debeat. l. 6. C. de vestigat.

VIII.

Quod de Doctoribns dictum, de Literatis quoq; reliquis dicendum puto. Sunt enim à muneribus personalibus (a) patrimonialibus (b) collectis (c) veigalibus (d) immunes. Dominus equum vel domum eis locare (e) & relocate (f) cogitur: neq; expellere domo potest, etiam si pro se & re suâ indigeat (g) possunt cogere creditorem, ut à fideiussione liberentur.

tur (h) expellere fabrum (i) quibuscunque etiam ereditoribus preferuntur. (l)

(a) l. 6, §. 9. ff. de excusat. tutor. l. 6. C. de Professor. & Senat. l. 1. & 2. C. qui atate l. unic. C. de auro coron. nec intercessit utrum in patria an vero alibi studiorum gratia commorentur d. l. unic. C. qui etate. nisi confuerudo patria sit in contrarium. l. 2 ff. de vacat. muner. (b) l. 6. C. de Profes. & med. quam immunitatem tempore Diocletiani non habuerunt. d. l. 6. & l. 2. C. qui atate. neque tantum literatis. sed etiam eorum filiis & uxoribus. l. fin. C. de Profes rebusque uxoris patrimonibus non tantum quam diu maritus vixerit. sed quando vidua permanerit. haec immunitas competit. (c) gaudent enim privilegio clericorum. arg. l. 17. C. de episcop. & Cleric. pauperum arg. l. 4. §. 2. ff. de muner. (d) Que ad usum proprium inferuntur. ve&tilgal immunitate gaudent. l. 5. C. de ve&tilgal. literati autem res ad usum proprium deferunt. Itaque publicani literatos ve&tilgal solvere cogentes. non solum ad restitutionem tenentur. sed & quadruplici. in modo capitali pœnâ propositâ obligantur d. l. 5. C. de ve&tilgal. In hoc tamen literatos cautos esse decet. ut ijs in locis. ibi ve&tilgal solvi debet suppellectilem profiteantur. & schedulam immunitatis à Rectore petant. alias nisi notoriè constet. res illas literatorum esse. non secus ac alias in commissum cadunt & publicationi subiacent. l. 16. §. 3. ff. de publ. caveant itidem. ne illicitas & alienas res suis immisceant. alias enim omnes fisco vendicabuntur. l. 1. §. 2. ff. de publ. quamvis mihi & iouis & iustius videatur. ut illicita tantum vendicentur. l. 3. C. de naut. fien. [e] quod introductum est. ratione publicæ utilitatis. Et de domo quidem quod dicitur. procedit illud eo casu ubi literati non inveniunt domos. quas inhabitare possunt. l. 1. ff. solut. matrim. Item dicendum de equo. si videlicet dominus equum consueverat locare. & in eum finem compararit. ut alij locet. arg. l. unic. §. fin. ff. furti ad vers. naut. modò literatus sit notus & bona fidei. Nam si signotus est. dominus non tenetur simpliciter locare equum. non datis sibi fidei illis. cum privilegia intelligi debeant sine praiquidicio alterius l. 40. ff. de admis. tut. l. 7. §. 10. ff. ne quid in loc. publ. l. 4. C. de mancip. liter. Quod si vero literatus. pro illo equo locato non inveniret fiduciarem. tunc nuncius ei suis expensis dandus est. sive cursor ad se-

ad sequendum equum cum pecunia locationis usque ad locum quem sibi literatus destinaverat. Immensum autem locationis premium pro domo vel camera, Re& tortaxare tenetur (f) quod si literati tantum velint pro locatione domus vel cubiculi præstatæ, quantum dominus convenit cum alio, literati veniunt præferendi, neq; aliis quam ipsis dominus locare vel debet vel potest. l. fin. C. de loc. præd. civil. propter rationem & utilitatem publicam, omnibus in rebus diligentissimè semper attendendam, ne scilicet literatus teneatur hospitium frequenter mura-re: qua sepius suscepta mutatio levitatem ingenij arguit. Td xas-  
udr, δικαιούσας, μὴ υπέρτατον. (g) Si enim possunt dominum compellere ad locandum, E. etiam ad retinendum propter utilitatem publicam, quæ semper privatæ anteferenda, l. 3. C. de principiis. ne scilicet hâc expulsione studium deserere cogantur, cum fortassis domum studijs apum non invenirent. Et quis nō licet hoc esse videt, cum propter utilitatem publicam cogatur quis locare fundum ad collocandos confessos pesti, ad nosocomia & cœmteria conficienda. arg. l. 12. §. 1. ff. de religios. & sumpt. fun. ad surcas erigendas. l. 2. ff. de iuriis. omn. iud. ven-  
dere? (h) Interim, ille ad literatum studium accedere vo-  
lens, surrogare alium debet, ut à fideiussione liberetur. (i) Sive  
sit Doctor sive Studiosus (nihil enim interest, nam in Studio so-  
tempus spectatur futurum) potest expellere fabrum, imò omne  
perturbantem & molestantem in studio sive id fiat canendo, si-  
ve altè legendo, clamando, boando, discurrente, potando,  
malos projicendo odores. Cum enim ædificiis publicis ædi-  
fici coherærentia ratione utilitatis publicæ dirui ac prosterni pos-  
sunt. l. 14. C. de oper. publ. Et faber abstinere debeat suo exerci-  
tio propter vicinum infirmum, si strepitus ei noceat, propterea  
quod salus hominum æstimari non possit. l. pen. § fin. ff. de do-  
nat. cap. n. n. satis 86. disf. & omnia hominum gratiæ sint com-  
pacata. l. 28. §. 1. ff. de nsur. Cui non etiam hoc in literato pro-  
cederet, cum in studio maior sit utilitas, quam moenibus & æ-  
dificijs? Ita usmodi autem perturbatoribus primò officio magi-  
stratus debet interdici, ut abstineant rebus istis, vel si non ces-  
sent, discedant. Cui prohibitioni si locum dare nolint, compelli  
possunt æstimatione ædium acceptâ. Hoc jure Jenæ usus Mat-

C

Matthi-

## Disputatio Iuridica

Matthias Colerus adverfus quendam vietorem, qui ad latum magni istius Jurisconsulti se in viciniam ingerens & sub media nocte surgere solitus, compingendo stipandoque vasa vinaria tantos strepitus & clangores excitabat, ut ille Themidos sacerdos, multas noctes infomes non sine valetudinis periculo transegerit. Verum querelā ad regimen Vinariense delata, Senatus Jenensi in mandatis datum est, ut compelleret Victorem eā habitatione dimissā de alia cogitare, vel opera sua in ista vicinia omittere. *Marth. Colerus de processu exentiv. part. l.c. 8.n.8.*  
 (!) *I. 12. §. 1. C. qui potior. in pign. hab. iuncta. antient. Habita C. nescius pro patre ibi : quis enim eorum. &c.*

### V I I.

Coronidis loco de, indignis his privilegijs dicere lubet. Cum enim requiratur, ut qui privilegijs his fruvelit, re & verbo sit literatus (a) ab ijs excluditur otiosus & vagabundus (b) genus vita mutans (c) officium alienum assumens. (d) Relegatus & exclusus ac ex albo deletus (e) inhoneste & contra seculi decus vivens (f) per quinque annum integrum ab Academia absens (g) nigromantiae vel alijs scientijs prohibitis, operam navans. (h)

(a) vita enim privilegii fini correspondere debet *I. 9. C. de SS. Eccles.* (b) qui penitus nihil studeret neque publicē neq; privatum sese exercet, sed in turpi otio vivens confundetur. *I. 16. C. de test. mil. d. I. 9. C. de SS. Eccles.* & tandem eget. Scilicet:

Stridore ingratu campos dum rauca patentes

Cicada cantrix compleat aflu servido;

Hiberni memor algoris formica reponit

Collecta grana: post quibus famem levet.

Te ne confectum senio male vexet egestas:

Suda, labora, dum viens ætas sinit.

Heu quam res misera est, canos gestare capillos.

Patique dura turpiter ieunia.

(c) intellige qui eiusmodi instituit vivendi rationem, quae omnino nihil cum studijs commune habet arg. *I. fin. ff. de testam.* ut. A fidu statuendum, si quis advocationem agat in Academia. *C. d. ut.*

(d) Ut est Advocati, adsefforis, Syndici, notarij. *Eo enim ipso declarat suam voluntatem, quod animum de revertendo ad Academiam amplius non habeat, neque amplius studiorum gratia peregrinetur, neq; in loco studij commoraturus sit postrem.* (e) *l.3. C. de agentib. in reb.* Et Rector Academie non solum excludere, & ut ex urbecedeat, iubere, verum etiam mandare potest, ut trans Rhenum secedat, das er müsse über den Rhein oder die Thonaw schwören / daß man ihne an den Türcken schicke. *L.1. §. 13. ff. de offic. pref. urb.* (f) veluti sceleribus, flagitiis, adulterijs, helluationibus se polluens. *l.3. C. de curios. & station.* Veneris nepotulus, qui affectat cameras supra viam, ut videat puellas vicinas vel transentes mansuetas (quod de Colonieribus affirmit Heinric. Kormannus in comment. de linea amoris cap. 4. de oscu.) & ceteras & amabiles, & affabiles & tractabiles, ipsosmet Studiosos humanitate & officijs provocantes & antevertentes: qui frequens ob hanc præcipue causam comparet in Ecclesijs, ut videat dominas. *glos. in cap. odi & proiec. 24. 7. 1.* quæ tamen assiduæ cum sequiori sexu conversatio (sunt verba Amplissimi Dn. D. Lanij in comment. de Academij. p. 30.) multoties secum dicit studiorum liberalium odium, neglegitum, temporis iacturam irreparabilem, n. orbis corporis & animi, maritupij tabem, & alientum, parentum cordolium, familiæ dehonestamentum, bastardos, lites, rixas, vulnera, cardes. (g) *l.3. C. de domeſt. l.2. C. de primicer. l. fin. C. de advocate diuersi iudic.* Viderunt enim tam diu animum revertetur di habere. *arg. l.5. ff. de capt. & postlim. reversi.* Vnde si intra quinquennium ad eandem Academiam revertatur, cogi non potest ad reiterationem immatriculationis & iuramenti. Secus si post quinquennium reversus fuerit. (h) *cap. 2. de privil. in 6.*

Ethæc sunt quæ de privilegijs literatorum Laconie brevitatem proponere volui, ubi tamen moneo, in singulis Academij Statuta ante omnia excutienda esse. Nam statutum est lex privata §. 1. f. de f. N. G. & C. Et cum singuli Studio legibus & statutis iuramento sint adstricti, quicquid in Statutis definitum est, huic absque dubio firmiter standum. Quod si veit super hac vel illare statuto nihil definitum & determinatum, obser-

18 Disput. Jurid. de Privil. Literat.

vandum id est, quod consuetudo congruentis temporis conciliavit. Nam ipsa formam negotio convenientem dare potest,  
I. 13. f. de ll. Quod si vero neque hinc auxilij quid mutuae possumus, tunc ad mores vicinarum Academiarum, haecque; traditum  
Doctorum, respiciendum. Filum ab tempore, agens gratias D e o

TER. OPT. MAX. eumque rogans, ut difcentis conatibus  
in posterum divinâ clementiâ favere  
velit.

---

COROLLARIA.

I.

Verba auth. Habita C. ne filium propatre & in ijs habitent se-  
cure, privilegij sunt.

II.

Depositionis ritus & inscriptio studiorum probandae.

III.

Frequentatio lectionum non est de essentia studiois.

IV.

Ritus promotionum publicarum Scholasticarum dignitate-  
rem bene à suis authoribus excogitatus, adhuc in usu quotidiano  
recte servatur

V.

Collegij cuiusdam Philosophici membrum, nec tamen Phi-  
losophia magister, Decanatus honore frui, & alij Magisterij insig-  
nia titulumque conferre potest.

Gloria sola DEO, soli Tibi gloria CHRISTE,  
SPIRITUI SANCTO, gloria  
sola DEO.

FINIS.

X2615896

VdS





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



## Farbkarte #13

ridica 522

16261.

G I I S  
R U M.

mentia,

MISSU

mplissimi JCC. in-  
si ordinis:

ultissimo,

PHORO  
ENTISSIMO,  
a Academia Tu-  
tautoreac Præcepto.  
& honoris cultu

virili defen-

h, Argent-

uary.

Werlini, Typof.

XVI.